


secans diametrum in G, ad rectos angulos, iunganturque ad extrema diametri
 rectæ BC, BA. Dico tam angulos CBF, CBG,
 quam (producta FB, ad H,) angulos ABH,
 ABG, esse æquales. ^a Quoniam enim angulus
 CBF, angulo BAC, in alterno segmento æ-
 qualis est. ^b & angulus CBD, eidem angulo
 BAC, æqualis, ob arcus æquales CB, CD; ^c
 (vel etiam angulus CBG, angulo BAC, æqua-
 lis est; quod BG, in triangulo rectangulo AB-
 C, ad basem AC, perpendicularis sit) erunt an-
 guli CBF, CBG, inter se quoque æquales.
 Producta autem CB, ad I, si ex rectis angulis
 ABC, ABI, tollantur æquales CBG, HBI, ^d
 (cum enim CBF, æqualis sit angulo HBI, ad
 verticem: & angulus CBG, angulo CBF, o-
 stensus æqualis; erit quoque angulus CBG,
 angulo HBI, æqualis.) erunt quoque reliqui
 anguli ABG, ABH, inter se æquales. quod est
 primum.



^a 32. tertij.
^b 27. tertij.
^c 8. sexti.

^d 15. primi.

DEINDE ducatur recta FN, secans circu-
 lum in K, L, ductisque rectis KGO, LGM, per
 G, iungantur tam rectæ KC, KA, quam LC,
 LA, ad extrema diametri. Dico rursus, tam angulos CLF, CLG, quam ALG,
 ALN: Item tam CKF, CKG, quam AKG, AKL, esse æquales. Ductis enim ex
 centro rectis EB, EK; ^e erit angulus EBF, rectus: ^f Igitur erit FB, media propor-
 tionalis inter EF, FG: ^g Ideoque rectangulum sub EF, FG, quadrato ex FB, æ-
 quale erit; ^h Est autem eidem quadrato æquale quoque rectangulum sub LF,
 FK. Igitur rectangulum sub EF, FG, rectangulo sub LF, FK, æquale erit: ⁱ Ac
 proinde erit vt EF, prima ad FK, secundam, ita LF, tertia ad FG, quartam. Qua-
 re cum triangula EFK, LFG, habeant latera circa communem angulum F, pro-
 portionalia; ^k erunt anguli FEK, FLG, homologis lateribus FK, FG, oppositi
 æquales. ^l Est autem angulus FEK, in centro anguli CLK, ad circumferentiam,
 (cum habeat eandem basem CK,) duplus. Igitur & angulus FLG, eiusdem an-
 guli CLK, duplus erit; ac proinde angulus FLG, sectus erit bifariam à recta
 LC, hoc est, anguli CLF, CLG, æquales erunt. Producta autem CL, ad P, si ex
 rectis angulis ALC, ALP, demantur æquales anguli CLG, PLN, (Cum enim
 CLF, ostensus sit æqualis angulo CLG, ^m & CLF, & æqualis sit angulo PLN, ⁿ
 ad verticem, erit quoque CLG, eidem angulo PLN, æqualis.) erunt quoq; re-
 liqui anguli ALG, ALN, æquales. Rursus quia anguli CLK, CLM, ostensi sunt
 æquales; ^o erunt arcus CK, CM, æquales. ^p Igitur anguli CGK, CGM: ^q Ideoq;
 & anguli AGO, AGL, ad verticem æquales erunt: ^r Ac proinde arcus etiam
 AO, AL, æquales erunt: ^s ideoque & anguli AKO, AKL, erunt æquales. Pro-
 ducta autem AK, ad Q, si ex rectis angulis CKA, CKQ, auferantur æquales AKG,
 FKQ, (Cum enim angulus AKG, angulo AKL, ostensus sit æqualis: ^t hic autem
 angulo FKQ, ad verticem sit æqualis; erit quoque angulus AKG, angulo FKQ,
 æqualis.) erunt etiam reliqui anguli CKG, CKF, inter se æquales. Quæ omnia
 demonstranda erant.

^e 18. tertij.
^f coroll. 8.
^g sexti.

^h 17. sexti.
ⁱ 36. tertij.

^k 16. sexti.
^l 6. sexti.

^m 20. tertij.

ⁿ 15. primi.

^o 26. tertij.
^p schol. 29.

^q tertij.

^r 15. primi
^s schol. 29.

^t tertij.

^u 27. tertij.
^v 15. primi.